

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 14

Artikel: Vindicae pro Bullingeri iudicio de Mich. Serveto, eiusque sectariis inter anabaptistas
Autor: Lasicius, Johannes
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394648>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Vindiciæ pro BULLINGERI Judicio

de Mich. Serveto, ejusque Sectariis
inter Anabaptistas.

Magnus BULLINGERUS in suis adversus
Anabaptistas Libris germanico sermone
conscriptis, deinceps autem a V. Clariss.
Josia Simlero in latinum conversis Lib. II.
cap. 12. ad postremam ex Anabaptistarum factio-
nibus, eamque pessimam ac prorsus abominandam,
classem progreditur, qua post *Michaelen Servetum*
deinde etiam cap. 13. *Melchiorum Hofmannum*,
cap. 14. *Davidem Georgium* & Libertinos &c. con-
cludit. In Capite autem 12. hunc ad modum
differit: *Decimotertio & ultimo loco Anabaptisticae fa-*
ctionis ordine ponam quosdam horrendos & abominabiles
Anabaptistas. Liberi & Monasterienses Anabaptistæ
etiam ipsi hoc nomine appellari possent: „ Sed hos peculia-
riter abominandos appello, quoniam abominandis
& horribilibus blasphemis præcipua indubitatae nostræ
fidei & sacri symboli dogmata scribendo & docen-
do impugnarunt, & horribiliter prosciderunt ac in-
famarunt. „

Primum autem locum inter hos merito suo obtinet
Michael Servetus Hispanus Arrago. - - Hic in
libro blasphemo, quem sub titulo Restitutionis Chri-
stianismi edidit, multos errores adversus præcipua do-
gmata Christianæ fidei evomuit, præcipue tamen sanctam

✻ *imperscrutabilem Trinitatem conviciis proscidit, & veram Christi Divinitatem abnegavit. . . . In his autem horrendis erroribus & blasphemis contra S. Trinitatem & Divinam Christi naturam a suis partibus habet veteres jam olim damnatos hæreticos, Praxeam, Samosatenum, Arrium & alios plures: præterea omnes Judæos & Turcas, & nostra ætate COMPLURES præcipuos Anabaptistarum DOCTORES. Hic non dubitant nonnulli palam profiteri, BULLINGERUM temere & immerito Servetum in Anabaptistarum censum adscripsisse, falsoque Anabaptistis errores ejus de S. Trinitate transcripsisse, atque adeo ipsos æquitatis limites transgressum esse, Anabaptistas Servetianorum nomine diffamando: qua accusatione non tam Serveti, quam Anabaptistarum causam agere ac patrocinium suscepisse videri volunt. At quam longe hæc a consilio & mente Bullingeri absint, non abs re fuerit hic paullo explicatius ostendere, ut novo aliquo documento constet, quam inconsiderate agant omnes illi, qui levissima quaque de causa purioris Doctrinæ Restauratorum, Virorum sanctissimorum, fidem, prudentiam, & æquitatem suspectam reddere non verecundantur.*

Ipse BULLINGERUS in præfatione ad hunc adversus Anabaptistas librum de animi sui æquitate, quam in conscribendo hoc Libro religiose fuerit secutus, & quam longe absit ab odio Sectæ diserte hunc in modum profitetur: „ Nihil scienter aut „ dolo malo Anabaptistis adscripsi, quod non „ ex ipsis, aut ex aliorum fide dignis testimoniis „ habeam. Quod si qui nunc aliter sentiunt, „ quam ego de illis scribam, & ideo arbitrantur,
„ me

„ me falsa de Anabaptistis scripsisse , quandoqui-
 „ dem ipsi Anabaptistæ sint , atque aliter sentiant :
 „ his respondeo , primum omnes nosse , qui ali-
 „ quid commercii cum ipsis habent , eos plerun-
 „ que nunc hujus , nunc alterius Sententiæ esse :
 „ præterea in multis rebus sic eos dissentire , ut
 „ pauci eorum reperiantur , qui idem sentiant :
 „ Deinde non sequitur , si unus aut alter non ita
 „ sentiat , neque hoc illudve faciat aut fecerit ,
 „ neminem unquam Anabaptistarum ita sentisse ,
 „ aut ita fecisse. „ Et de consilio Libri sui hæc
 statim subjicit : „ *Etenim sub Anabaptismo jure om-*
nia complectimur , quæcunque unquam Anabaptistæ do-
cuerunt aut fecerunt , etiamsi eadem nunc non ab omni-
bus observentur. Quod consilium deinceps in ipso
 operis cursu pluribus explicat. Lib. I. c. 8. „ Dein-
 „ ceptis indicabo , quænam dogmata communia
 „ sint Anabaptistis , & quæ sint quorundam pri-
 „ vata , h. e. in quam miras & multiplices factio-
 „ nes & schismata temporis progressu divisi sint.
 „ Et cap. 9. „ Nonnulli arbitrantur impossibile
 „ esse , ut omnes Anabaptismi differentię , con-
 „ trarię opiniones , & perniciosę ac horrendę
 „ eorum Sectę & factiones ordine commemoren-
 „ tur. Et quidem verum est , ex illorum numero
 „ paucos inter se consentientes reperiri , ita ut
 „ singuli peculiare aliquod mysterium , hoc est ,
 „ figmentum , habeant. Ideo non conabor hoc ,
 „ ut exacte & copiose describam omnes eorum
 „ Sectas , & uniuscujusque cerebrosi hominis
 „ figmenta. - - - Quare tantum adducam
 „ *præcipuas aliquot & notissimas ipsorum factiones.* In
 „ his autem Lib. II. cap. 12 - fin. „ Decimum
 tertium & ultimum locum occupant *abominandi*

quidam Anabaptistæ, h. e. illi, qui abominandis blasphemis præcipua indubitatae fidei nostræ dogmata SCRIBENDO & DOCENDO impugnaverunt ac infamarunt. Quapropter injuriam faciunt sanctissimo Viro, quicunque ea quæ Lib. II. cap. 12. memorat, ita interpretantur, quasi in universum de Anabaptistis sermonem faciat, atque omnes sine discrimine inter Serveti discipulos & sectatores adnumeret; iisque gravissimos & blasphemos de S. Triade & Divina Christi natura errores transcribat: Tantoque gravius peccant hac interpretationis calumnia, quoniam ipse Lib. III. cap. 6. hanc iniqui judicii criminationem diserte a se amolitur, ubi objectioni Anabaptistarum, quasi concionatores orthodoxi invidiæ creandæ gratia promiscue omnes Anabaptistas tanquam infames hæreticos traducant, ita occurrit: *Dico hoc libro nostram innocentiam evidenter declarari. Annon enim discrimen inter Anabaptistas posuimus & mentionem generalium & peculiarium Anabaptistarum fecimus? nonne diximus quosdam tales, alios vero his diversas opiniones tueri, & ab illis alios rejici & excommunicari? &c.* „ Interea hoc quoque perspicue apparet, Anabaptistas illos, quorum vos pudet, „ initio vobis non dissimiles fuisse, quemadmodum superius ostendimus. Quis autem nos „ certos faciet, vos occasione data, non etiam „ ipsorum similes fore? Quare cum monemus & „ dicimus hæc sub Anabaptismo latere, quid quæso „ falsi dicimus? Equidem alioqui in multis turpibus „ erroribus versamini, etiamsi non estis e numero crassissimorum & abominabilium Anabaptistarum: itaque nulla vobis fit injuria, neque quicquam in caritatem peccatur, quum graviter a nobis „ bis

„ bis arguimini , si forte adhuc vos lucrari posse-
 „ mus. „ Eo vero in loco , ob quem Bullinge-
 ri æquitatem iudicii in suspensionem adducere vo-
 lunt , tantum abest , ut vaga aut obscura ora-
 tione promiscue omnes in eandem culpam voca-
 verit , ut potius definitione explicet , quos quales-
 ve per abominandos illos Anabaptistas intelligi ve-
 lit , illos nimirum ex Anabaptistarum familiis , qui
 abominandis & horribilibus blasphemis præcipua
 fidei nostræ dogmata *SCRIBENDO & DOCENDO*
 impugnarunt , quod fecisse Servetum extra con-
 troversiam est , quem *COMPLURES* sua ætate
 præcipui Anabaptistarum Doctores fuerint secuti.
 Tales autem inter Anabaptistas diversarum parti-
 um Doctores complures extitisse ejus ætatis Scri-
 ptorum consensu ita confirmatum est , ut qui hoc
 in dubium vocare ausit merito ab omnibus verita-
 tis studiosis rideatur. Jam beatus Huldr. ZVING-
 LIUS in suo in *Catabaptistarum strophas* elencho ,
 in ea quæ libro præfixa est ad Lectorem Epistola
 hæc habet : „ Stulte baptismum Christi jactat ,
 „ qui Christum negat : neque enim est , quod
 „ Judæorum more dicant , (*scimus autem quosdam*
 „ *ex iis in hoc esse*) , Christum magnum aliquem
 „ fuisse Prophetam , aut Dei hominem , at non
 „ Dei filium. - - Breviter ergo , quum Chri-
 „ stum ipsum , haud obscure negant Dei esse Fi-
 „ lium natura , per malitiam de illius baptismo
 „ tumultuantur , non per Zelum. „ Et Josias
 SIMLERUS in suis *de æterno Dei Filio* Libris in
 Præfatione p. 3. „ Dum hæc ab Antitrinitariis
 „ seu Tritheitis disceptantur , Ochinus propter
 „ suam perfidiam pulsus Tiguro , in Poloniam ve-
 „ nit , hujus adventu disceptationes auctæ sunt ,

„ & ipsi Tritheitæ inter se diffidere cœperunt, ac
 „ *primum Pædobaptismum publice damnarunt.* „ Et
 in principio Libr. 1. p. 2. postquam commemo-
 rasset, renascentis Evangelii tempore alterum quen-
 dam Simonem magum extitisse Servetum adjicit :
 „ Ex ejus vero Schola egregii illi discipuli prodi-
 „ erunt *Gonæsius, Gribaldus, Blandrata, Gentilis,*
 „ *Alciatus, Gregorius Paulus, Simanus, Casanovius,*
 „ *Menno, & Anabaptistarum numerosa agmina :* quo-
 „ rum omnium cum sint variæ & discrepantes
 „ Sententiæ, non est nostri propositi easdem sin-
 „ gulatim persequi. „ Hoc autem ut luculentius
 constet, nullo modo in suspicionem adduci posse
 Bullingeri fidem, quum perhibet, complures præ-
 cipuos sua ætate Anabaptistarum Doctores horren-
 dos Serveti errores imbibisse ac publice etiam do-
 cuisse, auctarii loco excitabo hic testem omni ex-
 ceptione majorem, Theologum Polonum Celeber-
 rimum, *Johannem Lasicium*, cujus inedita, quod
 sciam, ad Theod. BEZAM epistola ita habet :

Nobilissimo Theologo Theod. Bezæ S. D.

Etsi sciam te legendis melioribus scriptis oc-
 cupatum, Theodore doctissime, tamen cum hæc
 ad te ex ipsa Polonia, quæ maxima est pars Sar-
 matiæ scribantur, quæso te benigne ea accipe.
 Poloniam divisam esse in duas partes, opinor,
 nosti; quarum altera major Polonia Silesiis & Po-
 meranis vicina; altera minor vocatur. In illa
 pacata sunt omnia, summopere Fratribus Wal-
 densibus, sic enim vulgo vocantur, invigilanti-
 bus, ne quæ hæreses aut diffidia exoriantur in
 Ecclesiis. In hac autem adeo turbata sunt omnia,
 ut

ut nihil lugubrius videas misera mea patria. Post-
ea quam huc quidam Itali, isthinc exterminati,
commigrarunt, ea nobis clam invexerunt dogma-
ta, quæ nunc paulatim exorientia universum per-
turbarunt religionis statum: Huc illud mali acces-
sit, quod Tritheitæ (quibus Spiritus S. nonnisi
Dei donum est, & a solo Patre prodit) *SERVETI*
scripta habeant, & ex eis *monstrosissima quæque do-*
gmata exhauriantur: quæ Scripta *de Jesu Christo ho-*
mine divinissimo, & alia ejus generis nacti sunt ab
eo Polono, Stanislaο *Kokoska*, qui fuit aliquando
puer illius *Lælii Socini*, etsi ipse in Italia subito
quodam morbo extinctus sit. Itaque hic audias
nihil aliud quam *de inæqualitate Filii Dei a Patre*,
& *naturæ an Prædestinatione Deus sit*, ut omittam
alias disputationes. Nacti sumus *Blandrata*, qui
est in Transylvania ad *Gregorium Paulum*, qui
concionatur Cracoviæ, plenam blasphemiarum
epistolam, in qua illud postremum in dubium
vocat, & *an sit Patri coæternus Filius Dei ex S. Li-*
teris id sciri non posse ait: Joannem ænigmatice
de Christo scripsisse credit. Cum igitur & talem
magistrum Gregorius habeat, & Scripta *SERVE-*
TI studiose legat, fieri non potest ut magistris
similis non esset discipulus. Itaque uti bonus
nunquam rhetor cessat, tonat contra Deum,
Essentiam & Trinitatem: Qua parte Religionis a
se, ut ipse putat, perpurgata, accedit ad alte-
ram dementiam, ut neget *infantulos ad baptismum*
ceu fontem vitæ & januam Ecclesiæ admittendos esse,
& qui tales olim baptizati sunt, *eos merito denuo*
baptismum suscipere debere, ut innovationem vitæ
percipiant, & illa pateant prodigia, quæ Chri-
stus credituros secutura dixit; qua in opinione

valde audax & liber est, sed opinor falsus vates. Is ergo postquam *suos de uno vero baptismo adultis dando, non iis qui in cunis vagiunt, probe docuerit*, accedere cum eis statuit (certa sunt omnia quæ scribo) ad fluvium, in quo totos abluat; verum ne hic quidem conquiescit: audivi enim ex eo, hæc esse prima rudimenta restaurandæ antiquæ Religionis: Spiritum S. esse qui hæc sibi patefaciat, & quasi cæco oculos magis ac magis, ut cernat, aperiat. Cujus vel Doctor vel Socius *Goncozius*, qui *de Magistratu* librum scripsisse fertur; cum hic aliquando visus cum ense ligneo esset, respondit interroganti, *non licere Christianis, arma, quibus lædere possis, attrectare. Breviter illi ipsi jam facti sunt ANABAPTISTÆ, de quilibus in Flandria audiisti: nam nosti fortassis inter eos genus esse Sectariorum, qui præter cæteros de Trinitate perperam sentiant: horum enim Spiritus ad nos transvolavit & nostros ita fascinavit, ut nullius plane nisi suam interpretationem Scripturæ admittant, ac nullam habeant S. Catholicæ Ecclesiæ rationem. Quorum furores cum videret Rex, edictum promulgasse fertur, quod tamen nondum ad nos e comitiis perlatum est, ut omnes Tritheitarum Ministri regno pellerentur. Verum cum ea sit nostræ nobilitatis Libertas, ut quæ velit, etiam faciat, puto facile fore ut irritum fiat; qua de re scribet aliquid ad Te *Thretius*, (qui tibi salutem adscribit,) ubi id ad effectum perductum fuerit. *Lysmanninus* credo tibi non erat ignotus, is veste ante puteum relicta, videlicet ut indicium diræ ipsius mortis restaret, in aquam insiliens periit. Plura de miserabili statu nostræ Ecclesiæ ac Religionis scribere non lubet. Orandus nobis Deus est,*

est, ut eam Satanæ vim adimat, ne amplius turbet Christi Ecclesias, & ut nobis Spiritum illum promissum mittat, qui animos nostros ad maiorem & Dei & hominum charitatem inflammet. Vobis autem omnibus adsit semper Deus propitius. Vale Vir præstantissime & nos litteris tuis confirma. Datae Cracoviæ. 30. Maii 1566.

Tui observantissimus

JOHANNES LASICIUS.

Ex hac vero Epistola manifestum esse arbitror, quod olim Tritheitæ in Polonia passim fuerint Serveti Sectatores, qui Scripta ejus studiose legerint, ac monstruosissima quæque dogmata ex iis hauserint: quod iidem Anabaptismum publice sint professi: quod in Flandria quondam inter Anabaptistas fuerit integrum genus Sectariorum, qui præter cæteros de Trinitate perperam senserint. Atque ita hætenus non intelligo, qua fronte ac fiducia a nonnullis ea, quæ Bullingerus de compluribus ex præcipuis Anabaptistarum suæ ætatis Doctoribus perhibet, in dubium vocari possint. Sed objiciat forte aliquis, in eo Anabaptistis injuriam maxime fieri & æquitatis leges migrari, quod Bullingerus ipsum Servetum, *tam abominatum Hæreticum*, ipsis annumerare non dubitaverit. Atqui Bullingerus ipse hanc culpam a se amoliri nullas prætermisit; etenim in fine cap. 12. Libr. II. hæc ejus leguntur verba: „ Quod si quis forte existimat, me impurum nebulonem Servetum im-
„ merito Anabaptistis adnumerare, is sciat ipsum
„ in fine Libri de regeneratione, audacter admo-
„ dum & aperte sub peculiari titulo hæc scribere:
„ Baptis-

„ Baptismum parvulorum esse horrendam abo-
 „ minationem , extinguere Spiritum S. vastare
 „ Ecclesiam Dei , turbare Christianam confessio-
 „ nem , abolere renovationem a Christo factam ,
 „ pessundare universum Christi Regnum. Hæc
 „ illius est Sententia , quam tamen nullis Scriptu-
 „ ris probat. Ex his autem apparet , jure ne an
 „ injuria ipsum Anabaptistis adnumeraverim. Po-
 „ tuisset certe Propheta & impurus Doctor esse
 „ in novo illo Monasteriensi Regno Christi & nova
 „ Hierosolyma. *Sin vero Anabaptistas forte Serveti*
 „ *pudeat ; (*) non tamen ipsum pudet Anabaptisticæ*
 „ *Doctrinæ* , quæ docet Baptismum parvulorum
 „ e Diabolo esse. *Non multum certe dissimilis est*
 „ *Anabaptistis* , qui ipsi quoque magna hujus-
 „ modi & vehementia verba ebulliunt & horribi-
 „ liter intonant. „ Quid quod nec ipse Calvinus
 injuriam esse censuit Serveti cum Anabaptistis com-
 parationem : in Ref. Err. Serv. p. m. 751. a.
 „ Breviter ostendam , quibus stimulis , *ultra omnes*
 „ *Anabaptistas* , percitus fuerit Servetus ad maledi-
 „ cendum Pædobaptismo. Viginti rationibus
 „ contendit Libro de Regen. IV. perperam ac
 „ præter Dei mandatum baptizari infantes. „ Has
 qui cum Anabaptistarum veterum rationibus com-
 paraverit , deprehendet , non esse ovum ovo tam
 simile , ut jure in hoc Doctrinæ capite illorum
 antesignanus haberi possit. Idemque p. 753. b.
 „ Jam videre operæ pretium est , quodnam legi-
 „ timum

(*) Nuperus quidam Scriptor in contrarium affir-
 mat : Servet war ein Mann , der den Anabaptisten in
 viel Weg Ehr gemacht hätte.

„ timum tempus Baptismo suo determinet. My-
 „ sterium magnum esse dicit, quod Christus non
 „ ante XXX. annum baptizatus fuerit. Exemplo
 „ enim ejus nos esse edoctos, ante eam ætatem
 „ non esse quem satis aptum ad mysteria Regni
 „ Cœlorum. &c. „ Negat tamen Servetum altera
 vice S. Baptismatis aqua fuisse tinctum: p. 755. a.
 „ Baptismum sibi ostendit ludibrio esse, cujus
 „ recipiendi nunquam ab eo quæsitæ est ratio.
 „ Quid hoc portenti est, quum ad annum XLVII.
 „ vixerit, negligere, vel saltem *omittere*, quod
 „ jactabat necessarium esse salutis æternæ pignus! „
 Scilicet ita magnifice ac prolixè de necessitate &
 virtute S. Baptismi sentiebat Servetus, ut non du-
 bitaverit Calvinum Epistola aliqua ad suscipiendum
 denuo Baptismum exhortari. Ex quibus Vene-
 randus Cancellarius ac Theologus Gættingensis de
 MOSHEIM in *Historia Serveti* p. 84. omnem huic
 Calvini testimonio fidem derogare conatur, quan-
 do ita colligit: Ist es möglich daß ein Mann, der
 eine solche Fülle der Gnade, der die Seligkeit
 selber von der Tauffe, die in dem dreissigsten Jah-
 re geschicht, erwartet, in dem dreissigsten Jahre
 seines Lebens stille sitzen, und nicht alles übrige so
 lange auf die Seiten legen könne, bis er durch die
 Tauffe die Rechte des Reiches Gottes gewonnen
 hat? Ich kan mich also kaum enthalten, zu glau-
 ben, daß Servet von Charlieu in dem Jahre 1539.
 oder höchstens 1540. ehe sich sein dreissigstes Jahr
 endigte, eine Zeitlang entwischet sey, und sich in
 der Schweiz von einem Wiedertäufer zum andern
 male habe tauffen lassen. Reverendus contra Acto-
 rum ad Historiam Reformationis Ecclesiarum Hel-
 veticarum pertinentium Collector contendit inter-
 missam

missam esse a Serveto Baptismi repetitionem ex necessitate , quod nulli tunc temporis in Gallia & finitima Helvetia fuerint Anabaptistæ , quorum opera in hanc rem abuti potuerit. At vero hæc temere ita esse conficta , & Servetum circa hoc tempus ab usu S. hujus lavacri nulla necessitate fuisse exclusum aliquot testimoniis docebo : *La Vie de Farel* ad ann. 1538. hæc habentur : *De la part de Farel je trouve une lettre dattée depuis Geneve du 14. Juin 1538. escrete à Fabry , dans laquelle il parle d'un certain Badius , & de Adamus Gestius , Jehan Moynier & de Colinæus & autres Anabaptistes , lesquels debravoyent & chantoyent victoire au dehors & les accompare à des larrons , qui entrés dans les maisons , ou personne ne leur contredit , & emportans ce qu'il y a de meilleur , s'en louent & vantent.* Ad annum vero 1540. die 16. April. *Farel dans une lettre à Calvin parle d'un certain Anabaptiste nommé du Val fait prisonnier à Lyon. Et dans une autre du 18. Sept. de la même année : Les Anabaptistes preschent tous les jours. &c.* Quicquid autem de hoc sit , id certum est ; Servetum in præcipuo dogmate , a quo etiam nomen Sectæ hæsit , cum Anabaptistis fecisse , atque merito illorum antesignanum & Doctorem haberi , inprimis quum deinceps plurimi qui hanc familiam secuti sunt , ejus adversus Pædobaptismum insanum furorem & debacchandi libidinem fuerunt imitati , atque etiam alia ejus blasphema dogmata sua facere non dubitarunt. Meræ ergo forent cavillationes , si quis Bullingero vellet objicere , quasi tradiderit , Servetum ex Anabaptistis cœtum sibi aliquem collegisse , cui publici Doctoris titulo unquam præfuerit ; aut ex Servetianis certam aliquam Anabaptistarum

ptistarum familiam, quæ in peculiarem Societatem secefferit, fabricasse. Nihil horum unquam Bullingero in mentem venisse, fateri necesse est omnes, qui ejus adversus Anabaptistas Libros non oscitanter aut perfunctorie perlustrarunt.

* * *

Julius Mediolanensis Pesclavii Minister Epistola ad *Bullingerum* d. IV. Novemb. 1555. data.

Literæ tuæ refertæ quidem & fraterna dilectione & ecclesiastica disciplina, quibus significabas *Lælium* Senensem, jam pridem a nobis suspectum, & a multis bonis fratribus habitum pro manifesto *Anabaptista*, coram te non tantum professum esse bonam confessionem, sed & propria manu subscripsisse sanæ Doctrinæ, quæ semper fuit in Catholica Ecclesia. - Oro D. Jesum, ut *Lælius* toto corde credat, quæ coram te confessus est &c. Nolebam; sed ut cautior fias, cogor referre, *Lælium* Camillo Renato dedisse manus, ita ut deserta Catholica veritate publice non erubuerit *Genevæ*, *Clavennæ* & alibi stare a parte *Anabaptistarum*. Arbitror enim te non ignorare, callidi & tortuosi *Camilli* ingenium & mores. Ea igitur de caussa, si de *Lælii* confessione aliquantisper suspicatus sum, ne miraberis quæso, cum plus satis experiamur, *Servetanos* & *Anabaptistas* non facile deponere, quod semel imbibierunt. &c.

* * *

Acta Historico-Eccles. Vinar. Tom. XII. Sect. LXVII. in Præf. p. 5. Es will Herr Züsli nicht zugeben, daß die Anabaptisten die Gottheit Christi geläugnet hätten, und bey dieser Gelegenheit will
er

er zugleich unsern Symbolischen Büchern, sonderlich in dem kurzen Auszug der streitigen Artikel, dieses als einen Fehler zur Last legen, daß sie eben diese Verläugnung unter die Irrthümer der Anabaptisten gezehlet. Allein er muß nicht gemerkt haben, daß gleich voraus steht, es wären unter diesen Leuten unterschiedliche Sekten, unter welchen einige mehrere, andere weniger Irrthümer hegten. Und hätte es dem Hrn. Füßlin beliebt z. Ex. Sandii Biblioth. Antitrinit. und besonders in derselben G. Schomanni Testamentum p. 195. f. Struvs Pfälzische Kirchen-Historie p. 241. in gleichen die Catechesin oder Confession der alten Unitarier in Polen von 1574. in der Vorrede nachzuschlagen, so würde er die ehemalige grosse Gemeinschaft unter diesen beyden Sekten, und daß die Unitarier allerdings Anabaptisten, und die Anabaptisten Unitarier gewesen sind, besser haben kennen lernen, mithin sich nicht so lange über unsere Symbolische Bücher vergeblich aufgehalten haben.

T A N T U M.



De-